Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1185
Quelle:
Copyright:

Dv menſch an der leſten Zeit.
Daz maen ich dv dv wurde ſeit.
Von Gabriel dem engel dein
Gechvnt dem ſvezen maedelein.
Da enphienge
Dv liber herre mein
Die menſchaet von den frevwelein.
Dv erbarm dich vber die ſvnde mein. &c.

Sub finem ſe prodit Interpres: *Du werde chvneginne Jheſu Chriſti mveter vnde maget von Himelriche Dv erbarm dich vber proeder dittreichen der ditze getibt in teuſche gemachet hat* &c.

II. *fol.* 243. manu Sec. ut videtur, XII. Narratio fabuloſa *Graeculi* cujusdam de Miraculo tempore Concilii *Chalcedon.* ad tumulum B. *Euphemiae* in teſtimonium orthodoxae Fidei contra *Eutychis* errores patrato, quae incipit: *Fuit quidam abbas eutices nomine qui chriſtum poſt humanam aſſumptionem negauit exiſtere in duabus naturis* &c. Rem a *Theodoro Beſto* in *Actis* D. Martyris, a *Joh. Zonara* et *Mich. Glyca* in *Annalib.* ab aliis alibi, verum, ut fit, diverſimode relatam poſt *Baronium* ad an. Chr. 451. examinant Hagiographi *Belgae Menſ. Septembr.* T. V. ad *diem 16.* p. 257. et pro merito inter Commenta ablegant productis PP. *Chalcedonenſium* e Literis ad *Leonem* Papam verbis, quae toti Fabulae anſam praebere potuere. Quoniam vero latinus Interpres noſter conſilium Profeſſionem Fidei utriusque Partis pectori B. *Euphemiae* imponendi *Acacio* cuidam *Recluſo*, eque rupe ſua per vim extracto tribuit, de quo nihil apud *Bollandianos*, latinum Exemplar illis non innotuiſſe, arguere licet.

III. *fol.* 244. in margine *Bernh.* et deinceps: *Ut inhabitet gloria in terra noſtra — Si gloria patris filius ſapiens, cum ſit ſapientia ipſa ſapientior nemo* &c. Eſt *Sermo I. in Annuntiat. B. V. M.* et extat *Opp.* edit. *Pariſ.* 1690. T. III. *col.* 971. ſed nobis magna Initii parte mutilus, ut conferenti patebit.

IV. a *fol.* 248. ad finem Collectanea varia: Imprimis *de Paſſione Domini*; dein ſelecta *V. T. Loca* cum *Gloſſis* allegoricis; tum *Dicta* Philoſophorum *Heracliti*, *Platonis*, *Socratis*, *Pythagorae* &c. temere congeſta; demum *Carmina*, quae enumerabo:

Hexametri 32. inſcripti: *De Vtilitate Viſus exterioris et interioris.* Initium:

Quinque iuuant oculum. ſua lux. extrinſeca lampas.
Oppoſitum corpus. ratio que iudicat idem.
Mens que iudicio memor aſſentit rationis &c.